



9 = nicht bei Neel.

Dissert. 107, 2

Esu





4. ① 6
1 ②

**EXERCITIUM
CANONICUM PRIMUM**

J H E F E S
V A R I A S
EX

Jure Ecclesiastico tum publico, tum privato
Germaniæ ejusque Historia

EXHIBENS;

QUAS

PRÆSIDE

P. PHILIPPO HEDDERICH

Minorita Conventuali
Ss. Canonum Professore

DEFENDENDAS SUSCEPIT

D. LUDOVICUS PARREN

Canonicus Bonnenfis ad D. Petrum

OPPUGNABANT

DD. JOANNES CHRISTOPHORUS BAUMGARTEN, Ec-
clesiæ ad S. Remigium Vicarius.

PETRUS SCHMITZ, Sacerdos.

PETRUS JOSEPHUS BREWER, Bonnenfis,

PETRUS DUNWALD, Bonnenfis.

Jurium Auditores.

Die XXIII. Februarii Anni MDCCLXXV.

Tempore consueto.

in Auditorio Juridico Electorali Bonnenfi.

BONNE, in Typographia Aulica.

6 in. Dissert. 107, 2

REVERENDISSIMO
ET
EMINENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO

MAGNIFICENTISSIMO
FREDERICO

ARCHIEPISCOPO COLONIENSI,

S. R. I. PER ITALIAM ARCHICANCELLARIO

AC

PRINCIPI ELECTORI,

S. SEDIS APOSTOLICÆ LEGATO NATO,

EPISCOPO ET PRINCIPI MONASTERIENSI,

DUCI WESTPHALIÆ ET ANGARIÆ,

BURGGRAVIO STROMBERGENSI,

COMITI DE KÖNIGSEGG - ROTTENFELS,

DOMINO IN ODENKIRCHEN, BORKELOHE, WERTH,

AULENDORF ET STAUFFEN &c. &c.

DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO.

EMINENTISSIME
^{AC}
REVERENDISSIME
ARCHIEPISCOPE
PRINCEPS ELECTOR,

Domine, Domine clementissime!

THRONO TUO ELECTORALI advolvitur JURIS-
PRUDENTIA CANONICA, non frugum DECIMAS, sed PRIMITIAS easque
NOVALES deponens: speramus non displicituras, quia JURIS RELIGIO-
SISSIMUS es, cujus Vigiliae incredibiles, ut SEDES TUA ELECTO-
RALIS non solum armis, sed & legibus decorata existeret, ne vel unum à
suscepto regimine diem siverunt non computari; qui SUMMA TUA
PROVIDENTIA, annuente Deo, perfecisti, ut eidem ARCHIEPIS-
COPALI TUÆ SEDI omnium jurium jungeretur Cathedra, de qua
ut legum ac Canonum cupidi non antiquas fabulas, sed quod in ipsis
obtinet verum argumentis, acciperent, supremam Auctoritate ordinasti.

Accipe proin primas fruges nostras eam, quam voluisti, metodo
propositas, & folia haec utuntur levidensia Oculis TUIS non dedig-
netur;

netur; *Majora, Patriæque utiliora, cum poterimus, conabimur. Boni interim faxint Superi, ut, quod provida TUA Ordinatio intendit, nostra in TE pietas & industria assequatur, huic non parere constituimus; illa verò indefessis precibus sollicitabit Altissimum, ut TE PATREM PATRIÆ OPTIMUM quam diutissime seruet sanum & incolumem: huic nostrorum Votorum meta immorituræ ad Pedes THRONI TUI demississime provolvimur*

**ELECTORALIS EMINENTIÆ
TUÆ**

Servorum Infini
PRÆSES, Defendens, & Oppugnantes.

*Ex Historia Juris Ecclesiastici tum universali tum
particulari Germaniæ.*

1. **C**anones Apostolorum, quanquam antiquissimi sint, & multa magni ponderis in iis contineantur, quæ pseud-epigraphi unanimi criticorum calculo notantur.
2. Quod de iis Institutio Christiana Concilii nostri Provincialis sub Hermanno Archiepiscopo f. CXCII. afferit: *opinionem, quæ Canones istos expressis verbis Apostolis tribuit, sanctâ etiam sextâ Synodo gravissimâ sententiâ fuisse agnitam: de Synodo Trullana acephala s. quini-sexta intelligendum est, non de Synodo universali.*
3. Decretales priorum Pontificum à Clemente ad Siricium usque, exceptis paucis, tanquam supposititiæ meritò rejiciuntur, non attentis iis, quæ *Liberius à Jesu pro iis vindicandis in sua Haggoge refert.*
4. Iis ingentem in Jus nostrum Ecclesiasticum invecram esse Disciplinæ vicissitudinem, nemo, nisi in historia jejusus sit, abnegabit.
5. Primis Ecclesiæ Sæculis collectionem Canonum extitisse nobis non probatur, unde omnium prima est, quæ in Ecclesia Orientali ex CC. *Nicæni I. Constantinop. I. Ancyran, Neo-Cæsariensis, Gangrensis Antiocheni, Laodicensi* coaluit.
6. Manifestò falsum est, in Conc. Nicæno I. plures, quàm viginti Canones fuisse editos: quorum in ordine *sextum* non de jure *Alexandrino Patriarcbali* sed *Metropolitico* loqui, tum ex historia, tum ex contextu eruitur.
7. Aut pro Decreto Gratiani restituendo & à suis, quæis scater, navis purgando laborarint hætenus Viri eruditissimi *Correctores Romani, tres Antonii, Demochares, Contius, & Augustinus, Diomedes Brava* apud *Bæbmerum, Baluzius, Nicolaus Catbarinus* apud *Meermannum, Espenius*, ambo *Fratres Pitboei, Bæbmerus, Car. Sebast. Berardus*; eò tamen usque nondum eluctatur, ut in singulis mereatur fidem historicam, ceu evincit *Can. 12. II. q. 6.*
8. Metropolitas Germaniæ *Ordinarios* extitisse suorum Suffraganeorum *Consecratores* ad sæc. XII. usque historiâ Patriæ edocemur.
9. Oppidò lapsus est in historiâ Innocentius III. *c. 11. de remunc.* dum Canonem Concilii Photiani dixit esse Canonem Concilii Constantinopo-

- tinopolitani I. in Verbis: *cum sit unum ex quatuor principalibus, que sicut quatuor Evangelia Ecclesia Catholica veneratur.*
10. Palpabilem in historia lapsum admisit Cl. Engel Tit. de sacra unctiōe n. 5. in fine inquit: *eoque sensu in Can. 15. de Consec. D. 5. Teutonici (Imperatores) dicuntur habere regimen Ecclesie Romanæ scilicet in temporalibus: non enim de Imperatoribus, sed Papis natione Teutonicis Canonem istum loqui inspicienti patet; lapsus tamen ejus venialis est, quia seduxit eum Glossa ad c. 34. de Elect. V transtulit.*
 11. Epigraphe, quæ cap. 1. de Ordinat. ab Episcopo &c. inscribitur Archiepiscopo Toletano, prout extat in Lēctione communi, & in Collectionē antiqua prima, aut Archiepiscopo Tolosano veluti legitur in Concil. Lateranensi P. 26. C. 18. non subsistit: quare inscribendum putamus Archiepiscopo Colonensi nempe Brunoni III., qui eo tempore renuntiavit Archiepiscopatu & vitam monasticam in Cænobio montis veteris professus est.
 12. Quod Cl. SCHMIDT in suis Institutionibus T. I. p. 268. Edit. 1. universaliter asserit: *nempe in locum Archidiaconorum suffectos esse Vicarios Episcoporum, ex historia Patriæ & Statutis Archiepiscopalibus falsitatis convincitur.*
 13. Donationem Constantini M. Sylvestro Papæ factam, quam refert Can. 13. D. 96. & c. 17. de Elect. in 6. pro ejus authentia Cl. Engel T. de M. & O. n. 11. tanquam pro aris & focis militat, ut omnino supposititiam notamus.

Ex Jure Ecclesiastico publico communi.

1. Forma Regiminis Ecclesiastici secundum institutionem Christi non est veluti in Societate æquali, prout contendit uterque Boehmerus;
2. Sed talis est, ut sint veri superiores & obedientes, adeoque est vera Hierarchia in Ecclesia Christi.
3. In ea præminet summus Pontifex Primatu Jurisdictionis in omnes præditus.
4. Falsum est, quod Ecclesiæ Gallicanæ novissimè imposuit ex Protestantibus Cl. Beckers Academiae Regiæ in Greiffswald Jurium Professor in seinen Gedanken, und Erläuterungen über das Kirchenrecht A. 1772. p. 39. die Franzosen behaupten, das Systema episcopale, sie nehmen an, der Pabst seye das Oberhaupt der Kirch, nicht aber ein Caput jurisdictionis, sed ordinis &c.

- 5. Constantem Ecclesiae Gallicanae mentem discimus utroque celebri Canonista Gallo, *Hericourt & de Maillane*; quorum primus *Loix Eccles. chap. IV. f. 44.* alter *Diction. de Droit Canonique T. 2. p. 400. V. pape.* contrarium aperte asserunt.
- 6. Episcoporum tamen jurisdictio aequè immediatè à Deo est, sicut & illa summi Pontificis, quâ Diœceses sibi commissas regendi potestatem habent ordinariam, salvâ subordinatione Canonica ad centrum unitatis.
- 7. Quare Forma Regiminis Ecclesiastici non est pure Monarchica, sed Aristocratia mixta.
- 8. Utraque potestas & spiritualis & temporalis suprema est, una ab altera independens, salvo Advocatiae jure & inspectionis, quo solo potestas Imperantium circa sacra concluditur.
- 9. Utraque & spiritualis & temporalis jurisdictio, salvo jure naturali, Divino, & humano, in una eademque persona *Brunonis* Archiepiscopi Colonienſis rectè combinata primo fuit, secus, ac contendit Author *von den Rechten des Kaysers und Stände des Reichs über geistliche Personen und Kirchen-Güter.*

Ex Jure Ecclesiastico publico particulari Germaniae.

Ex Concordatis cum sanctâ Sede initis.

- 1. Jus Germanicum pactitium non ordimur à pactis illis cum *Adriano I & Leone VIII.* initis, quippe horum pactorum tabulas genuinas hactenus ostendit nemo; de authentia Bullæ Leonis VIII. productæ à *Niemo* dubitant ipsi Protestantes veluti *Schilterus de Libert. L. 3. c. 5. §. 25.* omnino illam esse suspectam ait *de Seibow Elem. Jur. publ. Germ. 1769. T. 1. §. 15.*
- 2. Neque inter Germaniæ concordata referimus illud Paschalis II. pactum, prout contendit Author *Concor. Nat. Germ. integ. T. II.*
- 3. Pactum *Callixtinum* meritò inter ea sibi locum vendicat, quod varios hodie adhuc effectus obtinet.
- 4. Quod verò prætendit ex illo anonymus *Diff. vom Entscheidungs-Recht zwispaltiger Wahlen geistlicher Reichs-Fürsten,* controversias, in causis Electionum Episcoporum Germaniæ Catholicorum, ad alium Judicem, quàm Ecclesiasticum pertinere, non subsistit.
- 5. Complures hodie effectus habent CONCORDATA PRINCIPUM, nempe illa *S. Concilii Basileensis Decreta* à Natione nostra Moguntiae sub *Alber.*

- Alberto Romanorum Rege A. 1419. acceptata, & per Eugenium IV. Papam confirmata, in quibus, *quantum Concordatis Aschaffenburgensibus ex post initis non obviant*, nihil extitit immutatum.
6. Concordata ista Principum velut regula considerata sunt, Aschaffenburgensia verò tanquam exceptio à regula.
 7. Unde omne illud Nationi nostræ restitutum manet, quidquid eadem expresse in Aschaffenburgensibus non abdicavit.
 8. Potestas concordata interpretandi neque summo Pontifici soli, neque Nationi nostræ soli competit, sed utrique paciscenti simul vindicatur, quare, quid sentiendum sit de interpretatione à Greg. XIII. facta, palam est.
 9. In dubio concordatorum sensu hæc est interpretandi regula: *concordata intelligenda sunt modo, qui Nationi nostræ favet, meliori.*
 10. Cum litera concordatorum clara nobis legem tulerit deinceps inviolabiliter observandam, turò defenditur *Præposituras, & Consecrationes Suffraganeorum* non subesse reservationis vinculo.

Ex Pace Westphalica.

1. Eridem invaluit sententia inter Catholicos certa, Pacem Westphalicam esse Legem publicam & Sanctionem pragmaticam Imperii;
2. Non obstante iusta & efficaci adversus eam Protestatione Summi Pontificis.
3. Interpretatio *Authentica* hujus Pacis absque dubio spectat ad Imperatorem & status Imperii simul art. 8. §. *Gaudeant. Capitul. Caroli VI. art. 2.* interpretatio *judicialis*, dum aliàs de mente Legis constat, etiam P. W. negari nequit Collegiis juridicis de controversia consultis, & multo minus supremis Imperii Dicasteriis; *Doctrinalis* etiam privatorum hominum esse potest, modò cavillationes absint, queis ipsam Pacem infringere potius quàm interpretari allaborent, quod gravissimis verbis vetitum art. 5. §. 50.
4. Utò jurisdicção episcoporum in subditos protestantes sit suspensa per art. 5. §. 48. P. W. non tamen est in omnibus suspensa casibus.
5. Dum Protestantes quidam, jurisdictionem Episcoporum, tantùm *suspensam*, omnino *sublatam* esse contendunt, & historiæ hujus articuli conditi, & veris interpretandi regulis vim inferunt.
6. Nec melioris grani est interpretatio Bæhmeri in J. E. P. L. r. T. 3 r. §. 51 Dum versiculum §. 48. *donec dissidia religionis sopita fuerint per hoc est in perpetuum eidem interpretari placuit.*

7. Irregularis porro est interpretatio Cl. Henniges in *medit. ad §. cit.* quã verba: *modò iis nihil injungatur A.C. & conscientie adversum*, intelligenda esse præ tendit de eo, quidquid religionem directè vel indirectè concernit.

Ex Jure Ecclesiastico privato communi.

- E**x Proleg. 1. Aberravit viam, quam elegerat, mediam Cl. ENGEL in proemio n. 5. §. *sed communiùs*. ubi Decreto Gratiani tantùm authoritatem tribuit *relativam ad fontes*: rectiùs hãc viã mediã procedendum esse arbitramur, ut obtineat authoritatem *ex usu & recepto*, etiam quoad merces spurias, uti vel ex solo illo Canone *redintegranda* 3. III. q. 1. evincitur, ex quo uti spurio agi posse etiam in supremis Imperii Dicasteriis ostendemus Tit. *de restit. spoliat.*
2. Argumentum, quod plures ex rescripto *Bened. XIV. 113. Bullarii M. Tom. 16. ad Archiepiscopum S. Dominici in Insula Hispaniola* dato movent: *Decretales Gregorii IX. sunt sumendæ, uti jacent, & rescata non præstant argumentum*: sic dissolvimus: non præstant argumentum *ad evertendum ea*, quæ remanserunt, sed præstant *ad illustrandum*.
 3. Falsum est, quòd universim *summaria* Decretalium ejusdem authoritatis cum textu sint, sæpiùs enim textum extra rhombum summanr, velut *summaria, c. 3. de constit. c. 7. de rescript. c. 3. de testib. c. 2. de his, quæ fiunt à prælat. c. 1. de Capell. Monach.* plura sunt titubantia, nec firmo consistunt talo.
 4. Quantum authoritatis Congregatio Emmorum Cardinalium C. Trid. Interpretum præ tendat, *nec ipsa* hæctenus declaravit, *nec Papa*, sed soli Canonistæ divinant; merè *doctrinalem*, ceu Authoribus classicis illis attribuere, nimis humile foret, neque constitutionibus summorum Pontificum desuper editis satis conformè; verè & propriè *legalem* illis attribuere similiter non audeo, quia nec de potestate satis constat, nec de solennitate ad legem necessaria; mediã igitur eorum videtur esse authoritas, publica quidem & privata major, non usque tamen aded ex se valitura, ut sphæram legis assequatur, nisi in ea, quam aliæ LL. universales exposcunt, forma compareant.

Ex Tit. I. Lib. I. Decretalium. 1. Modus definiendi PP. Concilii Vienne nsis *Clem. un. h. t.* usitatus singularissimus est, nulli hæctenus Concilio usitatus.

B

2. Obli-

2. Obligatio emittendi Professionem fidei ex præscripto S. Conc. Trid. adeò personalis est, ut nemo satisfaciatur per alium.
3. Siquis verò intra præfixum tempus non emitteret, fructus beneficii non faceret suos, etiam ante omnem sententiam restituendos.

Ex Tit. II. 1. Minùs rectè Cl. Engel *b. t. n. 1.* exemplis juris naturalis, quod *ad genus bonnis* pertinet, adjungit defensionem contra violentiam, renitente *l. 3. ff. de J. & J.*

2. Palam *idem* abusus est *n. 18. Can. 12. II. q. 6.* contra potestatem Episcoporum.
3. Potissimæ difficultates, quas *idem à n. 37. b. t.* potius intricat, quàm extricat, dissipantur, si probè distinguatur inter legem *statuentem uniformitatem, præcaventem periculum commune, fingentem, præsumptam, & fundatam in præsumptione.*
4. Constitutionibus summorum Pontificum, non sufficit, eas Romæ solùm promulgatas esse.
5. Quanquam & Papa & Episcopus dispensare possint super Ss. Canonibus, neuter tamen est supra Canones, *utpote Spiritu Dei conditos & totius mundi reverentia consecratos.*

Ex Tit. III. 1. Dum Cl. Engel *n. 11. b. t.* duas famosi *c. 20. b. t.* partes decisivas ad utrumque rescriptum tam gratiæ quàm justitiæ extendit, quoad primam decisionis partem benè, quoad alteram irregulariter procedit; nec *c. 7. b. t.* nec *c. 8. & 14. de præb. in 6.* eidem suffragantur.

2. Indignum vehementer existimamus, quòd *idem n. 13.* rescripta papalia ità sub regulis Donati restringat, ut illa per quemcunque manifestum latinitatis errorem vitiari putet: arg. *c. 13. D. 38.* rectè verò eadem vitiari inquit, si in stylo manifestum sit peccatum.
3. Eidem Authori asserenti *n. 17. in f.* rescriptum justitiæ sub-aut obreptitiè obtentum esse tantum nullum *ope exceptionis,* resistunt *c. 3. & 20. b. t.* quo posito evanescit difficultas, num judex teneatur monere de sub-aut obreptione, si altera pars non excipiat?
4. Qui *Clem. un. de probat.* quoad probationem *narrativæ* in rescriptis velut regulam ponunt, *de jure communi* rectè procedunt, non item *de jure concordatorum Germaniæ.*

5. Rescri-

5. Rescriptum iustitiæ non transit ad hæredes, nisi is, contra quem rescriptum fuit impetratum, secundum *c. 20. de off. & pot. Jud. deleg.* in vivis fuerit in jus vocatus. *c. 36. b. t.*
6. *L. 2. C. de divers. rescript.* per Jus Canonum correctam esse, nullibi deprehendimus.

Ex Tit. IV. 1. Consuetudinem contra legem Ecclesiasticam ignoravit antiquitas, nec enim ullum ejusdem vestigium ante *c. fin. b. t.* reperimus; quare ex *c. cit.* ita hermeneuticè procedimus: nulla prævalet consuetudo contra legem, nisi rationabilis fuerit & præscripta.

2. Omnis itaque consuetudo sit *rationabilis* & quidem *positivè*, ut loquuntur, nisi immemorialis sit, ubi rationem supplet veneranda canities.
3. Non consentimus iis, qui generaliter de consuetudine secundum præscriptionis leges judicant, quoad tempus ejusdem introducendæ, & nonnunquam *decennium* sufficere contendunt; neque enim ista: *inveterata, antiquitus & tenaciter servata, antiquata, vetusta, diu obtenta, antiqua*, quibus consuetudo per Canones & leges appellatur, in *decennalem* cadunt; iudex itaque secundum illam judicet, quæ saltem antiqua est & 40. annorum.
4. Quod verò *Cl. Engel n. 8. b. t.* de unico actu dislerit, ad possessionem valet, non ad consuetudinem, nisi hanc *anomalam* esse velis.

Ex Tit. V. 1. Rectissimis de causis *postulatio*, ævo medio, secerni cæpit ab *electione*, in vanum contra nitentibus *Zieglero, Gundling*, ceterisque Protestantibus.

2. Etsi Episcopi Titulares sibi ad majorem securitatem prospicere soleant de *Brevi eligibilitatis*, ut eligi queant ad aliam Ecclesiam cathedrallem; eodem tamen non indigent de rigore juris, neque enim concipere possumus conjugium spirituale sine sponsa non existente, sciente & consentiente.
3. Ut *postulatio* cum *electione* concurrere vincat, habeat duas tertias ex *c. 40. b. t.* saltem *respectu eligentium*, plus enim non requirit *cap. cit.*
4. Quodsi *postulationem* non admitti contingeret, *electionem* admittendam esse, utpote *Cononicam*, contendimus.

Ex

- Ex Tit. VI. 1.* Ut Præpositus aut Decanus civitati Episcopi eligendi intraneus, quanquam Capitulo eligenti extraneus, jus eligendi sibi vindicet, non requiritur distinctio *c. 1. de præscript in 6.* ut vel necessarius sit titulus, vel allegetur præscriptio temporis immemorialis, quia sibi non est contrarium jus commune, imo favens.
2. Probationem ignoratæ eligibilitatis asserenti imponimus *ex R. §. 47. in 6. non obft. c. 20. b. t.*
 3. Procurator absentis, canonicè impediti, de gremio existens, cum mandato generali constitutus, non tantùm potest, sed & tenetur suo Principali duplex dare votum, si hunc præ ceteris iudicet digniorem, ne conscientia ipsius sit divisa; nisi per fraudem & dolum committatur in legem.
 4. *C. 50. non contrariatur c. 33. b. t.* ubi, septem Compromissariis nominatis, horum unus à tribus electus, consentiendo fecit majora, & iussus ab *Imoc. III.* in Decanum recipi.
 5. Rationem verò ità decidendi perperam quærunt Interpretes cum *Gonzalesio not. ad c. cit. in l. 4. ff. quod cujuscunq. univ. nom.* aut in *l. 19. ff. princ. de Tutor.* At magis ad rem esse videtur *§. 1. Inst. de satisf. Tut. in fin.*
 6. *C. 44. b. t.* quoad Episcopos remotos non est correctum per *extrav. 1. b. t. int. comm.*

Ex Tit. VII. 1. Translatus desinit esse Episcopus ecclesiæ à qua *volens* transfertur ad solam translationem verbalem in Consistorio Sanctitatis Suae, etiam ante expeditionem literarum vel adeptam possessionem secundæ ecclesiæ.

2. Postquam hujus absolutionis notitiam Episcopus translatus habuerit etiam ex testimonio seu documento Secretarii S. Collegii, illico tenetur abstinere exercitio ordinariæ jurisdictionis.
3. Quodsi verò translationis verbalis vel bullaris conscius administrare ecclesiam à qua *de facto* pergeret, usque ad possessionem secundæ ecclesiæ adeptam, servandum pro norma foret *c. 28. de præb. in 6.*
4. Nullatenus verò cedimus Curialistis, qui docent, ignorantem quoque translationem, si modò pro ea supplicaverit eo ipso, quo Romæ peracta sit

fit translatio, perdere à tempore absolutionis, jura & possessionem primæ ecclesiæ.

5. Quod Capitula sub h. t. ajunt, Translationes Episcoporum, *Ordinatione divina, Papale reservatum esse*, ad usum refer, non ad historiam.

6. Is, cui Papa indultum dedit transeundi ad aliam ecclesiam, clavem habet, quâ ipsémet vinculum aperire queat.

Ex Tit. VIII. 1. Quamquam C. 3. D. 100. abominetur exactionem aut præstationem temporalium pro concessione pallii, summa tamen *in curia* præstanda, dum pallium conceditur, à simoniæ labe vindicari potest.

2. Utrum Pontifex de plenitudine potestatis (quam absit, ut disputemus) concedere valeat pallium episcopis, invito Metropolitano? disputatum hoc sæculo acriter fuit; qui negant, *plenitudinem justitiæ cum plenitudine potestatis* conciliare nituntur.

3. Usus pallii personalissimus est, certis locis & stato tempore circumscriptus. *b. t. per totum.*

Ex Tit. IX. 1. Qui *tacitas* passim *renuntiationes* admittunt sinè facto evidenter concludente, Divinatores sunt, non Jureconsulti.

2. Pridem invaluit sententia certa, quòd admissio resignationum *in favorem, sic & non aliter*, sit reservatum usuale Summi Pontificis; sed quæ causa sit hujus reservationis DD. non conveniunt.

3. Plerique tum veteres tum RR. hanc assignant: *quia istæ resignationes simoniam saperent*, sed hæc ratio non subsistit; VAN ESPEN *in designatione successoris* causam quærit, sed & ista inanis est; alii *ad grave Canonum vulnus* confugiunt; alii *ad præjudicium turnariorum & Capitulorum*, aut *liberæ collationis ordinariorum*, sed neque ista urgent, ut ligentur manus Episcoporum; assentimur illis, qui causam in mirifica & anomala hujus resignationis ponunt indole.

Ex Tit.

Ex Tit. X. 1. Rubrica hujus tituli est perfecta & universalis comprehendens tam actus *voluntarie*, quàm *contentiosæ* jurisdictionis, Prælatos tum *exemptos*, tum *non exemptos*.

2. Duplex quoque negligentia comprehenditur, *una* consistens in omissione officii ex pigritia aut incuria, altera consistens in nimia rigo-rositate aut duritie per *c. 1. b. t.*
3. Casus verò impotentiae non comprehenditur, qui enim impotens est, nec negligens nec durus est. *c. 1. & 3. b. t.*
4. Quando ex *Conc. Trid.* Episcopus supplet negligentiam Prælatorum regularium additâ clausula: *tanquam Sedis Apostolicæ delegatus*, hic nihilominus *jure ordinario ac nativo* supplet, non *jure delegato*.

Ex Jure Ecclesiastico privato statutorio.

1. Juris communis Autoritas legalis nulla est, ubi obviat statutis nostris ecclesiasticis patriis.
2. Bullas Papales super Beneficiis, Dispensationibus &c. subesse visioni, examini & placeto Archiepiscopali pridem expressit disertis verbis statutum R^{dmi} Archiepiscopi *Wilbelmi de a. 1353.*
3. Constitutionem *Pianam de resignationibus Beneficiorum*, quæ incipit; *quanta ecclesie*, neque in nostra Dicecesi receptam esse reperio; quare non consulere, ut quis beneficium in manus R^{dmi} ac E^{mmi} Archiepiscopi nostri contra Bullam istam resignatum piscaturus trans montes pergeret.
4. Scrutinium ex præscripto S. Concilii Tridentini *Seff. 23. de ref. c. 15.* Ss. ordinibus præmittendum, quod in plerisque Dicecesibus passim exolevit, *in nostra* adhuc in viridi est observantia, conformiter statutis novissimis Archiepiscopalibus R^{dmi} *Maximiliani Henrici Tit. XIX. de ordine c. 3.*
5. Quanquam sæpiùs statutis nostris provincialibus prohibeatur, ne clerici peregrini sine literis *foruatis* aut *dimissorialibus* admittantur, nihilo-

8

nihilominus minùs rectè compiler nostrorum statutorum ad statuta
Sifridi Archiepiscopi c. de ordinibus. §. Item omnes illi &c. notat: Cle-
ricos peregrinos non esse admittendos.

6. *Etsi Decani rurales jure Decretalium communi, c. 4. de off. Archi-*
epreb. & jure novissimo C. Trid, Sess. 24. de ref. c. 20. & Sess. 25. de
de ref. c. 15. non gaudeant tribunali externo: aliud nihilominus ob-
tinet in Ducatibus Juliæ & Montium vi concordati Archiepiscopi
nostri Ferdinandi cum Sermo Duce Wolffgango Wilbelmo de 22. Jul.
1621. art. 29. ubi prima instantia est penes Decanum Christianitatis
& quosdam Assessores Parochos.

7. *Quæstio illa, utrum jurisdictio Vicarii Episcopi generalis sit ORDI-*
NARIA nec ne? palam dissolvitur in stat. noviss. P. III. T. V. de
triplici Vicario Generali, c. 1. sibi quorum quilibet ratione officii,
quod nomine & auctoritate nostra exercet, ordinariam nobiscum par-
ticipat jurisditionem, unum idemque tribunal constituit.

A. M. D. G.



Ad Juris Ecclesiastici Auditores.

Ex his vobis, Ss. Canonum Cultores! in aprico est ea, quam in
his prælegendis præ ceteris selegi, methodus. Ordinem Decretalium omninò tenendum duxi, Exemplo Celeberrimorum, *Panormitani*, *de Butrio*, *Gonzalezii*, *à Costa*, *Florentis*, cujus præclara opera donatione *Cl. Gilgens* mihi obvenerunt, aliorumque magni Nominis Juræconsultorum. Nec solus ego sum, cui iste præ ceteris placet ordo; Viri enim Antecessores mihi sunt toti orbi literario celebratissimi *de Hillesheim* & *Nellerus*, qui eâ de causa Decretalium ordinem mihi non unâ tantùm vice commendârunt, ut Ss. Canonum addiscendorum cupidi ad textum fontésque, unde promanant, inducantur. Equidem alios magnæ notæ Jurisperitos non ignoro, quæis sua sunt compendia; sed, quin eorum conatui in ullo quidquam detractum esse velim, persuadere non potuerunt unquam, ut præfixum mihi Decretalium ordinem relinquerem. Neque Juris Ecclesiastici statui germaniæ nostræ accomodandi desum studio, cum ejusdem Juris germanici principia ac fontes generales sub initio prælectionum mearum pertractârim, specialia verò, quæ inde deducuntur, jura *Concordatorum*, *Pacis Westphalicæ* ac ceterarum germaniæ legum, quæ ab aliis singulari tractantur parte, ad obvios titulos prolixius animadvertere adlaboro; uti & notare molior, ubi juri communi per statuta nostra patria derogatum esse video. Porro Titulum illum *de fide Instrum.* quippe qui ingentem pro nostro Jure Ecclesiastico utilitatem habet, ceu ex solâ illa *Cl. Würdweinii* de re diplomatica meritissimi epistola ad artis diplomaticæ Cultores nuperrimè data liquet, consecrando eidem tempore peculiariter interpretabor.

Valete interim, atque conatum meum
æqui ac boni consulite.

S. Fr. B. J. Müller professor 7
elhanbr

EXERCITIUM
CANONICUM

EX

Jure Ecclesiastico tum publico, tum
privato Germaniæ, ejusque
Historia

VARIAS THESES

EXHIBENS

QUAS

PRÆSIDE

P. PHILIPPO HEDDERICH

Minorita Conventuali

DEFENDENDAS SUSCEPIT


D. PETRUS DÜNNWALD, Bonnenfis

Juris utriusque Auditor.

Die XXII. Junii Anni MDCCLXXV.

in Auditorio Juridico Electorali Bonnenfis.

BONNÆ, in Typographia Aulica.



Ex Historia Juris Ecclesiastici.

- I. C. 33. XI. q. 1. sive l. 1. Cod. Theod. de episc. jud. non est textus suppositivus: unda rectè ait Cl. Rupprecht in not. Histor. ad Tit. de judic. p. 323. Causas Civiles Laicorum non tantùm ex compromisso utriusque partis, sed etiam parte altera invita ad Episcopos tanquam arbitros olim deferri potuisse.
- II. Sola sacerdotalis brevitatis in expediendis litibus causa fuit, ut Imperatores orientis contulerint Episcopis facultatem, Laicorum quoque causas civiles dirimendi *remotâ adeo appellatione*.
- III. E contra *Can. 5. 6. 7. & 9. III. q. 6.* nullius fidei existunt, quare solido nititur fundamento, quod idem author. *l. cit. p. 336.* latè deducit.
- IV. Judiciorum Ecclesiasticorum formam simplicem & planam extitisse per 10. priora sæcula docent Collectiones Canonum, quæ codices *Burchardi & Ivonis Sæc. XI.* compilatos antecedunt, in quibus ordo processus, aliæque juris civilis solemnitates, postea adoptatæ, non reperiuntur; quod idem confirmant exempla utriusque Ecclesiæ à *Themassino de N. & V. E. D. P. 2. L. 3. cap. 101.* lato calamo adducta.
- V. Post Sæc. X. sensim formalitates & subtilitates Forenses tribunalia ecclesiastica subintrare cæperant, eò quod studium legum civilium tum in Italia florete cæpit, atque publicis juris Justinianæ prælectionibus tum in occidentem introductis non tantùm Laici, sed & Clerici delectabantur, adèd quidem, ut Clerici tum dicerentur omnes generatim Viri literati & docti, uti notat *du Cange in Gloss. med. & infim. latin. V. Clerici.*
- VI. Cùm itaque studium legum inter ipsos Clericos invaluisset, & causæ ad earum præscriptum decidi passim consuevissent; ipsi quoque Pontifices ac nominatim *Alexander III. & Innoc. III. Sæc. XII. & XIII.* eorùmque Successores in suis responsis legum autoritate uti, & modum causas instituendi & decidendi ad normam legum civilium præscribere cæperunt, ordòque modernus processuum Ecclesiasticorum Sæc. XIII. stabilitus fuit.

- VII. Quod si Spiritum Ecclesiæ, quem à suo Fundatore J. C. hausit, consideremus, illa semper maluit, & hucusque mavult causas filiorum suorum summarie & absque forensi strepitu terminari; si verò conditiones temporum hominumque in iis viventium spectemus, rectè ab illa tandem ordo judiciorum L. II. Decret. præscriptus & introductus fuit, quod ex obviis constitutionibus Romanorum Pontificum palam est, quibus se fraudibus malevolorum hominum obviare, & sceleri repagulum figere testantur.
- VIII. Postquam eodem tempore Partes litigantes ipsis adeo Episcopis mentiri non erubuerunt; Legislator Canonicus excogitavit malo huic remedium, nempe sic dictas POSITIONES, quæ sunt vera & unica Juris Canonici tum usualis tum scripti propago *c. 54. de elect. c. un. de lit cont. c. 2. de conf. in 6. c. 2. de testib. in 6. Clem. de V. S.*
- IX. Sinistrè confundit *Phæbeus Inst. Can. L. 3. T. 10. n. 9.* positiones istas cum interrogationibus, in jure faciendis, de quibus in Digestis extat titulus peculiaris: nam istæ interrogationes fiebant ante litem contestatam, positiones exhibentur post illam; hæ probationis relevandæ gratia concipiebantur, illæ actionis instituendæ causa: positio est enuntiatio perfecta, interrogatio autem imperfecta, per verba, *an, quid, quomodo, &c.* formata.
- X. Ut coereretur litigantium negandi facilitas addidit Positionibus Religio necessitatem duorum juramentorum, quorum alterum ex parte ponentis vocatur dandorum, alterum ex parte respondentis juramentum respondendorum [vide *c. 2. de testib. in 6.* ubi pragmatici forenses miscent in praxi juramentum dandorum cum juramento malitiæ, & juramentum respondendorum cum juramento calumniæ; sed hi se corrigant ex ordinatione S. R. I. Notariali de an. 1512. §. 2. 3. 4.
- XI. Ast sicut nihil tam sanctum est & salutare, quo rabularum astutia non abutatur, ita hic ipse modus *positionum Canonicarum*, abbreviandi lites detortus ab iis fuit ad easdem ex causa incidenti tantò longiùs procrastinandas: vid. *c. 2. de Confess. in 6.*, quibus malis varia remedia quæsitivè Imperium nostrum in *Ordinat. Cameraali de an. 1555. part. 3. art. 15. §. 2. 3. 4. 5. & 6.*
- XII. Demum novissimus Imperii recessus de an. 1654. rem istam ad primævi statûs simplicitatem reducturus, rescissis positionibus aliis, solas probationales earumque responsiones tam ex parte actoris, quam rei admisit, disputationes autem super responsionibus planè sustulit. *Vid. recess. cit. §. 34. 37. & 41.*

XIII.

- XIII.** Olim nonnulli Patrum Canones & Leges hujus Sæculi voluerunt, ut totus clericalis ordo à juramento præstando sit immunis; sed *Lucius III.* & *Greg. IX.* Sæc. XII. novis morbis nova antidota præparârunt, volentes, ut & Clerici ad veritatem eliciendam præstarent calumniæ juramentum. *Vid. c. 1. 5. & 7. de jur. Cal.*
- XIV.** Recta Canonicorum origo ad tempus *D. Chrodegangi* referenda est, non ad illa Ss. *Augustini* & *Eusebii.*
- XV.** *D. Chrodegangus* Canonicis suæ Ecclesiæ *Metensis* primus regulam à *Monachorum* regula distinctam præscripsit, non illam quidem, quam *Harzbemius* sub nomine ejusdem *Tom. 1. Conc. Germ.* refert, sed aliam, quam *Harduinus* T. IV. CC. p. 1182. 34. capitibus absolutam adducit.
- XVI.** Eadem *D. Chrodegangi* regula in *Conc. Aquisgranensi* an. 814. ad 145. capita aucta fuit; sub qua Canonicos Ecclesiæ nostræ *Coloniensis* plurimos ferè ad Sæc. XI. vixisse defendimus, quo demum ad separatas secedebant œconomias.
- XVII.** Quare de plurimis Ecclesiis Collegiatis falsum est, quod vulgo dicitur, eas *Monasteria Religiosorum* extitisse.
- XVIII.** In nonnullis tamen *Canonissarum Collegiis Religiosas* sub regula *S. Benedicti* ad Sæc. XIV. extitisse, duplici *Diplomate* ostendimus.
- XIX.** Quod *Cl. BANNIZA* *Tract. de prim. precibus* asserit, *Albertum I.* Filium *Rudolphi I.* non exercuisse jus primariorum precum ex ejusdem rescripto ad *Capitulum Aquisgranense* a. 1306. dato apud *de Gudenus Cod. Dip. T. 2. p. 989.* falsitatis convincitur.
- XX.** Miramur, *Espenium* T. 1. *J. E. U. p. 143.*, virum alias in historia versatissimum, per *Cl. Chokier* deceptum esse, dum sustinet, originem *Castellaræ Romanæ* non excedere tempora *Innoc. III.* siquidem c. 10. *de rescriptis* contrarium apertè doceat.

Ex Jure Ecclesiastico publico Communi,

- I. Quodsi sanctos audiamus Patres, residendi necessitas, quâ ligantur *Episcopi*, non arbitrariis solius Ecclesiæ decretis, sed lege adeo divina imposita est & firmata, ut quidem sua tantum, non *Vicaria* opera satisfaciant.

- II. *Causæ tamen nonnullæ sunt, quæ eos secundum Conc. Trid. Sess. 23. c. 1. de ref. à necessitate residendi aliquamdiu eximunt. Videl. Christiana Cbaritas, urgens necessitas, debita obedientia, evidens ecclesia vel reipublicæ utilitas.*
- III. *Eodem, ac Episcopi, jure residere tenentur Parochi ceterique curati residentia itidem personali, & non otiosâ Trid. l. cit. quare (verba sunt Cl. de Riegger P. III. §. LXXI) eant Parochi cum usu contrario quantumvis longævo, vocent consuetudinem, dispensationem jactitent, corruptela est; mille dispensationes nihil agunt.*
- IV. *Causam infirmitatis, utpote causam absentia notoriam, non tenentur curati insinuare Episcopo, aut ejus Generali Vicario, modò aliàs curæ suarum ovium sit debitè provisum.*
- V. *Etiã Canonicos ad residentiam personalem quidem & non otiosam adstringi, indubitata res est; beneficium enim ob officium conceditur c. fin. de rescript. in 6.*
- VI. *Capitula Canonicorum Cathedralium sede vacante jurisdictionem Episcopalem eo usque exercent, donec exceptio dilucidè ostendatur.*
- VII. *Varia autem exceptiones sunt: veluti in C. 2. ne sed. vac. C. un. eod. in 6. C. ult. eod. Trid. Sess. 7. de ref. C. 10. Denique non gaudent juri- bus, Episcopo, nonniſt ex speciali privilegio, delegatione aut præro- gativa Personæ propria competentibus.*

Ex Jure Ecclesiastico publico Germaniæ.

Ex Concordatis cum S. Sede initis.

- I. *De Appellationibus ad Curiam Romanam Canonistæ Germaniæ sobriè sentiendum est: ne una ex parte violetur Autoritas S. Sedis, ne quoque altera ex parte Concordatis vis inferatur, videlicet ultimo Decreto trigessimæ primæ Sessionis Conc. Basil. à Natione nostra acceptato, & ab Eugenio IV. confirmato.*
- II. *In beneficiis per Concordata adhuc reservatis Teutonicus non teu- tonico præferendus est.*
- III. *Per §. rursus Monasteria &c. in Concordatis Aſchaffenb. reservata tantum sunt beneficia vacantia per promotionem in Curia; quare be- neficia, tempore inter electionem & confirmationem medio, ab electo resignata non erunt reservata, non obstante reg. 26. Can- cellariæ.*

- IV. Concondata Aschaffenburgensia pariter reservant tantum beneficia vacantia per depositionem aut privationem per Pontificem aut ejus auctoritate factam; unde male id extenditur ad depositionem aut privationem ab Ordinario, vel à lege aut Canone factam.
- V. Displicet sententia illorum, qui *C. 3. de præb. in 6.* per Concordata Principum derogatum esse asserunt.
- VI. Sub Reservationibus Concordatorum nequaquam cadunt beneficia, *manualia, regularia, resignata, juris patronatus laici vel mixti.*
- VII. In dubio, utrum vacatio in mense Apostolico, an verò ordinarii Collatoris facta sit, pro mense *Ordinarii* præsumendum est.
- VIII. Sede Apostolica vacante, beneficia in mensibus Papalibus vacantia Episcopi jure potiùs Ordinario ac nativo conferunt, non vi indulti quinquennalis.

Ex Pace Westphalica.

- I. Neque Catholicis, nec Protestantibus *jus intercedendi* in causis religionis denegari potest.
- II. *Jus verò alterius causam in judicio persequendi*, quod ex Pace W. prætendunt Protestantes, iis rectè denegatur.
- III. Propter jus Sacrorum territoriali Superioritati per *Inst. P. W.* de facto cohærens Dominus territorialis Catholicus Subditis A. C. indicare potest ferias celebrandas, nisi Subditi in anno normali se constituissent in quasi possessione recusandi festa nova.
- IV. Quare nec solus status negativus anni regulativi, neque Art. V. §. 48. P. W. in verbis: *qui Augustanam Confessionem nullatenus concernunt*, huic juri indicendi ferias resistit.
- V. Causæ verò, propter quas idem Dominus territorialis Catholicus Subditis A. C. imperare possit ferias sacras, easque novas & perpetuas, sunt sequentes: perpetua memoria gratæ mentis erga beneficium aliquod Dei supernaturalis Ordinis; explicatio & contemplatio cujusdam veritatis particularis omnibus Christianis utilis: uniformitas Christiana quoad sacram quietem in uno eodémque territorio.
- VI. Cum porro Subditi Protestantes Domino territoriali in politicis pleno jure subsint, conqueri non possunt Protestantes, si Dominus territorialis Catholicus iis certi alicujus Calendarii præ alio receptionem injungat.

VII.

VII. Neque ipsorum conscientis inde ulla vis infertur, ceu aperte ostendit Edictum regium, quo ipse Rex Borussiae A. 1744. Subditis suis Silesiacis & regni eandem Paschatis celebrationem cum Catholicis injunxit, qui & novissimè quoad celebrandum Pascha Uniformitatem Imperii exoptavit in Comitibus.

VIII. Jurisdictionem supremorum Imperii tribunalium in causis ecclesiasticis Protestantium magis, quàm Catholicorum fundatam esse, solidè demonstravit Cl. FRANCK *Juris publici & Hist. in Univ. Trevirensi Prof. publ. Diss. de Censura principii: Jurisdictio supremorum &c. Moguntiae A. 1771, edita, nuàc denuo recusa in Tbes. J. E. Germ. T. III.*

Ex Jure Ecclesiastico Feudali.

- I. In feudis Germaniae, praecipuè ecclesiasticis, primariò ad tenorem literarum investiturae, mores feudorum proprios, ordinationes ac praxes singularum Curiarum feudalium respiciendum est,
- II. Feuda ecclesiastica ex origine sua omnia esse oblata, veluti contendit Böhmerus *Diss. von krumstabischen Leben* Historiae Germaniae repugnat.
- III. Feuda oblata regulariter praesumuntur esse propria, quare in iis Successio faeminarum in regula non habet locum: non obstante vulgato illo: *Krumstab schleuht niemand aus*, cujus origo incerta est, nec ulla lege publica unquam confirmata.
- IV. Bona ecclesiastica ab Episcopis sine Consensu Capituli in feudum dari nequeunt.
- V. Amplior tamen est potestas eorum in rebus infeudari solitis, & ad ecclesiam reversis, utpote ad nullam restricta solemnitatem, quamquam Capitulum in certis quibusdam Casibus sit legitimus contradictor.
- VI. Principes ecclesiastici Germaniae feudorum Regalium ad Principatus pertinentium non tam Pro-Vasalli, quàm Vasalli principales sunt, adeoque & veri propriique Principes.
- VII. Clerici sive Canonici saeculares regulariter capaces sunt successionis in feudis propriis & gentilitiis.
- VIII. Feuda ecclesiastica non pertinent in Imperio ad forum ecclesiasticum tam in prima, quàm in secunda instantia,

IX. Pœna privationis feudorum Imperii non nisi feloniam ream tenet, unde nec Prælati Ecclesiæ, nec pater filiis innocentibus præjudicare potest.


X. Malè definit Cl. Engel Tit. de feudis n. 10. feudum nobile esse illud, quod personam accipientis nobilitat; neque enim convenit omni definito.

Ex Jure Ecclesiastico privato.

Ex L. II. § III. De testatium.

- I. Duo Capitula difficilia, videl. C. 13. de judic. & C. 2. de sent. & re jud. in 6. non audemus per omnia sustinere.
- II. Difficultatem C. fin. de jud. non solvit Gonzalez inquiring: utramque causam possessionis & proprietatis fuisse delegatam ab eodem iudice terminandam, quia textui vim infert; minùs satisfaciunt, qui causam proprietatis, quia spiritualis erat, à causa possessionis divisam fuisse asserunt, non enim quæstio erat de jure eligendi rectorem ecclesiasticum, sed politicum; rectius ita inquis: in possessorio cognovit Potestas Florentina secularis, in petitorio Iudex ecclesiasticus, quia in hoc Abbas & Conventus sustinuit personam rei, & ita ex integro summarium cum textu combinabis, quin inter c. cit. & c. 1. de caus. poss. & propr. sit antinomia.
- III. In causis ecclesiasticis filius familias Major XIV. ann. se solo habet personam standi in iudicio per c. fin. de jud. in 6. quam decisionem Papæ frustra sigillat Huberus ad tit. ff. de jud. in ceteris quoad filium familias jus Canonicum non correxit jus Civile.
- IV. Privilegium fori Clericorum in civilibus esse juris Divini, prout ENGEL ad tit. de for. comp. n. 38. asserit, vix defendi potest: sed rectè docent Cl. RAUTENSTRAUCH ord. S. Bened. Inst. J. E. T. 1. p. 383. & de RIEGGER P. II. de for. comp. descendere originativè ex privilegiis Principum.
- V. Per. c. 1. §. 3. de for. comp. in 6. contrahentes absentes à loco contractus non trahendi sunt inviti ad forum contractus. -- Sed cur §. 3. cit. inquit: si absentes citati comparere contempnant, contra eos posse fieri missionem in possessionem bonorum? R. quia tantùm absentes voluit non esse trahendos invitos remediis in personam. -- Omissis his, quæ Cl. Engel h. t. n. 24. ad longum disputat.

- VI. Quāquam non sint tot antinomiae in nostro C. J. quot sibi interpretes communiter imaginantur; nihilominus inter c. 1. & 5. de jur. cal. vera datur; dicendum itaque est, c. 5. sustulisse privilegium c. 1. neque enim fundata est illorum opinio, qui c. 1. expli- cant de Clerico non litigante in causa propria.
- VII. Judex datare potest die dominico, non vero ad diem dominicum.
- VIII. Non obstante c. 1. 2. & 3. de ord. cogn. prius cognoscendum est super actione, quam super exceptione; quæstio tamen præjudicialis prius cognoscenda est, quam principalis judicanda.
- IX. Conjugi posse in eodem libello ac judicio causam proprietatis cum remedio adipiscendæ & recuperandæ possessionis dubium non habet de jure Can. ex c. 3. de caus. poss. & propr. neque minus iudicium retinendæ possessionis cum petitorio conjugium sustinet.
- X. Qui initio egit in petitorio, potest quamvis lite jam contestata, si è re sibi visum fuerit, quod probatio dominii sibi nimis ardua appareat, mutato consilio, transire ad possessorium, modò in causa non fuerit conclusum; imò etiam post conclusionem in causa ad possessorium se convertere potest, si ex indiciis arguatur iniquitas adversarii, aut hic alteri probationes dominii subtraxerit.
- XI. Petitorio cum possessorio in iudicium deducto cognoscitur super utroque; quo casu si actor vincat in possessorio, succumbat verò in petitorio, in eadem sententia prius actori, deinde reo victoria adjudicatur.
- XII. Ratiocinium Cl. Engel ad Tit. de rest. spol. contra tertii b. f. possessoris conventionem ex Can. redintegrandi non subsistit. -- Consentiant quidem eidem nonnulli Domini de schola, sed non exaudiuntur in praxi.
- XIII. Sive actor in causa c. 3. de dolo & cont. fuerit contumax, sive reus (quod nobis perlecta Decretali integra in antiquis collectionibus verius est) summarium Capituli ejusdem rejiciendum est: *actore contumace testes recipi & sententia ferri debent*, ETIAM LITE NON CONTESTATA reo instante, rectè tamen docent Interpretes, actore contumace reum esse absolvendum, aut reo instante ad cognitionem causæ procedendum,
- XIV. Rubrica: *ut lite pendente nihil innovetur*, perfectum habet sensum; quare rectè docetur, omnia rescripta etiam supremi Pontificis esse nulla, non expressâ litis pendentia, quis enim præsumer, etiam Papam velle alterius juri præjudicare, aut statum litis immutare?



- XV.** In notoriis facti Summos Pontifices rejecisse ipsa aded substantialia processus *Summarii* negamus ex *C. 21. de jurej.* Lamenta itaque *BÖHMERI I. E. P. Tit. de jud.* contra Pontifices ex sinistro potius Decretalium intellectu, quam culpa Pontificum prodierunt.
- XVI.** Cave, ne *Clem. un. de prob.* interpreteris, quin reflectas ad Concordata Germaniæ.
- XVII.** Non est verum, in foro Canonico post publicationem rotuli testium novos super iisdem articulis testes produci posse in eadem, aut nova instantia, disertis enim verbis id vetitum est *C. 17. de testib. & Clem. 2. eod.*
- XVIII.** *Summarius C. 3. de testib.* nimium dicit, ergo nihil.
- XIX.** Dura nobis nobis videtur opinio, quæ causam, juramento voluntario decisam, negat posse retractari suscepta probatione perjurii, saltem, si hæc liquido fieri possit, quæ enim æquior ratio adduci posset, illâ, quam ipse *Imp. adfert l. fin. C. de R. C.* ne homo ejusmodi impius ex impietate lucrum reportet?
- XX.** Sunt, qui hodie præsumptionem Juris & de Jure omnino exterminare volunt, veluti *SCHNEIDIUS orat. de præsumpt. J. & de J. Wirceburgi 1770.* at momenta ejus non sufficiunt, ut à via hæctenus trita nobis recedendum esse, persuadeant.
- XXI.** *ENGEL n. 6. Tit. de except. legem 9. ff. de except. & R. J. 63. in 6.* perperam sic distinguit: "utrum reus, desiciens in exceptionis suæ probatione velit ex post facto negare intentionem actoris, vel quoad jus, vel quoad factum? si quoad jus, e. g. dicendo: fecimus quidem contractum, sed nego illum contractum valuisse, audiendus erit: quodsi verò ipsum factum negare velit, quod jam per exceptionem confessus est, non aliter audiendum puto, quam si de errore docuerit." Neque enim objectæ exceptioni confessio facti inest.
- XXII.** Infirmis planè argumentis *COCCEJUS in suis exercit. curios. Disp. 91. & 92. de finibus b. f. in præscript. J. Can.* impugnat Decisionem Pontificis *C. fin. de præscript.* quâ adversus *J. Rom.* placita ad omnem præscriptionem requisivit bonam fidem.
- XXIII.** Ad præscriptionem immemoriam non requiritur, ut nulla planè ratione contrarium in documentis publicis, Archivis, diplomatis erui posset; quæ enim præscriptio immemorialis deprehendi unquam posset?
- XXIV.** Præscriptio siue ulucapio facit etiam pro foro interno Dominum ex non Domino: sed res judicata pro eodem foro non facit *ex falsa verum, ex injusto justum, ex nigro album,* ut fabulantur quidam pragmatici.
- XXV.** Clerici in minoribus constituti, si matrimonium contrahant, ipso jure

jure amittunt beneficia, quæ habent; quod, etiamsi ratum solummodo fuerit matrimonium, obtinebit; non item, si aut à sciente aut ab ignorante nulliter contractum fuit, quia de valido tantummodo loquuntur jura, neque, quod tamen Canones supponunt, statum talis adsumisse dici potest cum beneficio incompatibilem.

XXVI. *Solius Episcopi est*, præmissio examine institutionem authorizabilem ac præsertim jurisdictioni facultatem in sacro tribunali beneficio conferre, exclusa omni consuetudine, præscriptione vel privilegio contrario, ut loquitur Conc. Tridentinum; igitur audiendi non sunt interpretes quidam Canonum, inter consuetudinem antecedentem & consequentem distinguentes.

XXVII. Perperam hucusque *C. 2. de bis, quæ fiunt à Præl.* adlatum est à Canonistis pro eo, quod in alienatione rerum ecclesiasticarum consensus Capituli tacitus sufficiat; non enim de alienatione rerum ecclesiasticarum, ut summarium falsò loquitur, sed de concessione beneficii nempe ecclesiæ decimæ textus intelligendus venit.

XXVIII. Alienationis verbum in *C. 5. de reb. eccles. non alien.* comprehendit quoque *conditionem*; variæ desuper sunt interpretum opiniones; omissis ceteris verior apparet *Antonii Augustini* sententia, qui vocem illam rejiciendam credit, quod in autographis & codicibus, unde hic textus primitus desumptus est, non legatur.

XXIX. Clerici possunt fidejubere, atque jussione sua proprio nomine tenentur; neque enim indistinctè Clerici fidejubere prohibentur, sed dumtaxat pro certis causis verantur etiam fidejussionibus aliorum inservire *C. 1. de fid.* seu proxenetas agere in conciliandis aliorum fidejussionibus.

XXX. Quidquid sit de genuino sensu *L. 2. C. de rescind. vend.* immeritò carpit *Böhmmerus* in suo *C. J. not. ad C. 3. de empt. n. 2.* Pontificem, quod hic inquit in arbitrio emptoris esse, si velit justum supplere pretium, aut venditionem rescindere, atque sententiam à judice alternativè esse concipiendam: cur enim Pontifex in foro suo Canonico aliud quidpiam adoptare fuisset prohibitus?

XXXI. Non litera textus scripti in *C. 3. de solut.* sed interpretatio usualis recepta & approbata Clericis ære alieno gravatis, si non sint pares solvendo, tribuit beneficium competentis.

XXXII. Rigidæ plus æquo sententiæ patronum agit *Esperius P. II. Sect. IV. Tit. 1. C. V.* dum inquit: Clericos patrimonio divites, reservatis proventibus patrimonii ex bonis ecclesiæ vivere non posse.

O. A. M. D. G.